



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua  
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 9. S. Bernardo obuiam missus clericus, à Deo sibi obuiam missum  
Bernardu[m] experitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

scire, casus esse à Deo.

37

prophetauit, quòd IESVS moriturus erat, pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.

§. IX.

S. Bernardo obuiam missus clericus, à Deo  
sibi obuiam missum Bernardum  
experitur.

Quæ recensui, aliter dicta, atque aliter accepta, eò spectabant, vt profugos, ad semel piè inchoatum vitæ statum continuandum, reuocarent. Addam aliud, quod docet, Deum casu hominis usum, ad eundem statum inchoandum: quod etsi ex mente loquentis evenit, evenit tamen planè, præter mentem eius, qui audiuit. Venerat Cæsar. aliquando in Germaniam S. Bernardus lib. I. c. 8. Abbas, ad pacem conciliandam, inter Lotharium regem Romanorum, & antecessoris eius Henrici nepotes. Venienti Albertus Moguntinorum Præfus, honoris ergo, Clericum, Masselinum nomine, obuiam misit. Hic, ubi Bernardum salutauit, inter cætera, dixit, se missum à Domino suo, ad ei seruendum. Quod ubi audiuit Bernardus, paulisper eum intuitus, respondit: *Alius Dominus te misit ad seruendum sibi.* Expauit, ad tam insperatum dictum, Clericus; &, ubi se se-

C 3

colle-

38 Cap. II. Remedium patientiae est,  
collegit, denuò dixit, ab Episcopo se mis-  
sum. Cui Bernardus, *Falleris*, ait, *maior Do-  
minus misit te Christus*. Tum demum intelli-  
gens Clericus, quorū ea verba irent, ait:  
*Nempe Monachum me velle fieri existimās?*  
*Apage, cum tuo cucullo, quem nunquam so-  
mniaui.* Non passus est se repelli D. Bernar-  
dus, sed, quantumuis Clerico reclamante,  
perstītit, affirmauitque fore, vt cucullum  
Monachūmque indueret; non quod ipse,  
sed quod Deus iter illius ita destinārit. De-  
dit manus illico Clericus, atque, in eodem  
adhuc itinere, Mundo rem suam sibi habe-  
re jussō, Monachus Clareuallensis factus  
est. Hic *casu* se obuiam missum existimans  
Bernardo, magno Dei consilio, obuiam-  
missus est. Supra memoratis duobus, alio,  
& casu dicta, si vel iocantes ac mordentes,  
vel aliud monentes consideres; diuinā pro-  
uidentiā tamen, ad constantiam & sanitā-  
tem profuerunt.

§. X.

*Monetus casu dicta, consilio Dei uti-  
liter excepit.*

Hieron.  
Plat. I. 3.  
de Bono

Notum est illud, sed ad rem facit, quod  
Hieronymus Platus, è Prædicatorum histo-  
rijs, in hunc modum recitat. *Bononiae, in  
primis*